DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

POLITEIA MEDICA.

GULIELMO AITON, AUCTORE.

Hoc vocabulo intelligitur societatis humanae gubernatio atque moderatio, quoad sanitatem ejus tuendam. Quoniam haec cognitio a causis morborum necessario nitatur, has breviter in unum quasi conspectum, priusquam ad tollendi rationes progrediamur, conjiciam.

GENERALIA DE MORBO QUAEDAM.

Quod nosmetipsi longe plurimos morborum existentium creamus opinio est haud vana;

quin plures eorum semel geniti, semet aliosque undique propagare tendunt, modo quidem contagione, modo consensione, modo etiam haereditate quâdam. Eorundem permulti, necnon gravissimi, de infima plebe nascentes optimates petunt, dum pauculi* ex medio, supremoque ordine, ni in temperantiam peccetur, in plebem descendunt.

Priores fere contagiosi celerrimique sunt; verum in honestiore loco nati, lenti omnino sunt, utpote qui de patre in prolem transmittantur. Ergo raro divites infestant epidemici, raro etiam ipse praefectos nautarum fere ad internecionem febrientium eos petere vidi. Haygarth† auctor est, inter lautiores Cestrienses se vix semel quidem Typhum ab alio in alium propagatum in triginta annis notavisse, dum

* Vide Russel on the Plague, p. 297. Mead on the Plague, p. 100, &c. &c.

† Haygarth on the Prevention of Infectious Fevers, p. 39.

ex 200 pauperibus 60 febre, et singulari anno 1787, extincti sunt. Coloni quoque et artifices ditiores immunes interim fuere.* Eadem fere Culleni sententia fuit; † nec difficile est cuiquam pro saeculis duobus praeteritis morbum ad urbes hominum confertas, vicos parum ventilatos, aedificia sordida, uno in verbo, ad vitium, ad miseriam, ad penuriam, vestigare. Pestis annis 1626 et 1636. Londinum vexans, loca humiliora, angustiora, qualis ‡ White-chapel dicitur primo affecit, atque 1665 S. Giles dictum, pestis Massiliensis vicum *Rue de le Scalle* Gallis dictum. || Febres nuperae Gadium Calpesque vicos consimiles primo te-

* Vide Letter from Rev. Joseph Townsend, ibid.

† Sir G. Blane on the Diseases of Seamen, pag. 229, 230.

‡ Encyclopaedia, art. London.

|| Vide Mead on the Plague.

Russel on do. p. 213.

Relation Historique, p. 40.

nuerunt. In omnibus quoque servi crebro laborabant, dominis intactis.

Quinetiam nexus quidam inter urbes hominibus confertas, sordidas, mores immundos, atque morbos pestilentes per omne aevum conspicuus est; exemplo notissimo est lex Judaica cum purgationibus ejus innumeris, nec desunt talia ex Romanis documenta.

Pestem Anglicam jam diu *Erasmus sordibus et impuritati populi attribuit. "Conclavia sola fere strata sunt argilla, tum scirpis palustribus, qui subinde sic renovantur ut fundamentum maneat aliquoties annos viginti, sub se fovens sputa, vomitus, mictum canum et hominum, projectam cerevisam, et piscium reliquas, aliasque sordes non nominandas." Londinum, Lutetia, Massilia, quaevis urbs frequentior eandem historia sua rem corroborant. Si quidem munditia earum prisca cum

* Epist. ad Franciscum Cardinalis Wolsei Medicum. Heberden on Incr. and Decr. of Diseases, p. 70, 71.

hodierna, vel etiam cum Constantinopoli, Cairo, Bagdata, Aleppo, ut nunc se habent, comparetur, quantum nos penes sit morborum epidemicorum grassatio haud ambiguè ostendet. In Cairo, e. g. incolae complures in spatium angustissimum stipari solent, adeo quidem ut, auctore * Savary, viginti eorum minus sit spatii quam uni ex Londini incolis, et id sub coelo vix non torrido.

DE AUCTORUM OPINIONIBUS.

Novae fere scientia avidiores fuimus quam jam compertae, et medici obliti quantum artis suae morbis arcendis consistat. Omnino pueriliter theorias venantes prophylaxes diu cognitas penitus negligerunt. Praecipue inter scriptores de morbis epidemicis id obti-

* Vide Lettres sur l'Egypte, vol. III. p. 15, 16.

net.* Nihil iis obstinatius, nihil aliorum ratiociniis surdius esse potest, nec raro sensui communi valedicentes verba et sibi et sequacibus pro rebus imponunt.

Bancroftio † inexpugnabilis Calpes rupes miasmate involuta videtur: Maclean ‡ praeter vapores noxios, flatus pestiferos ne hilum videre potest, et Websterii § judicium lavâ sua vulcanica fere suffocatur: hi Solem illi Lunam accusant, nulli vero sordes ex frequentia locorum hominumque munditia, incuria, criminantur. Praejudicium est hujus erroris causa; sumunt sibi theoriam, colunt, enixè amplectuntur; nec rarò, ut Maclean, regiones pestilentes peragrantur ad documenta quasi

* Diemerbrock, Hodges, Chandler, Van Helmont, Van Swieten, Sydenham, &c. &c.

† On Yellow Fever, p. 475-6-7 & 10.

‡ M'Lean on Epidemic and Pestilential Diseases, 1818, vol. 1. p. 158-9.

§ Webster's History of Epidemics, 1st vol. pag. 291, 298, 310, 314, 315; vol. 2d. sect. 15. p. 157-9.

orco ipsi extorquenda. Illi pestem nullo contagio propagari placuit; incolumes pauculos ex contactu manifesto gloriosè narrat; neglectis succumbentium myriadibus, perinde ac si quis nullos naufragio perire contenderet, sospitum numeros infinitos in testimonium ostentans. Vix minus absurdè tales referuntur morbi ad montium igneorum labores. Bancroft* tamen sordes febri dare ortum negat: "Concedit quidem febres saepe carceres frequentasse, sed non perinde apparere eas ibi genitas fuisse contendit: qui enim certius ibi natas constat, quam pediculos eodem loco visendos, sponte ibidem generatos fuisse? Sordes confirmat, ovis animalculorum favent contagii translationi, nec hoc tamen nec illa generant." Ut sordes tamen atque immundum vitae genus tam morbis hisce retinendis propagandisque quam animalculis istis multiplicandis faveant, dubitat nemo aucto-

* Bancroft on Yellow Fever, p. 144.

rum. Cullen, Heberden, Fordyce, Haygarth, Rush, Percival, Black, Pringle, Lind, Blane, nec minus recentiores Armstrong, Fellowes, Pym, Barker, Bateman, Stokes, Millar, Graham, Dickson, Yule, Welsh, Rogan, uno animo confirmant sordes, si non causam, certè fomitem morbi multiplicem existere; imo contagium quodlibet facile cura idonea atque purificatione adhibita, aut supprimi aut certe cohiberi posse. Erat schola quaedam puellaris Cestriae, in qua ex quadraginta, quatuor tantum contagium effugerunt. Sed Haygarth* per novemdecim annos quibus munditiae scrupulosè consultum est scholis, ne unam quidem ex his infectam meminit. Anno salutis 1808, socii navales de *Nassau* et *Stately* navibus bellicis, Typhum virulentum ex captivis Danicis quibusdam susceperunt. Combusserant enim nostri navem Danorum in littore suo; et hi navibus excepti, frequentissi-

* Haygarth's Letter to Dr Percival, p. 82.

mas reddebant: quae res adeo contagioni vires suppeditabat, ut priusquam Yarmouth portum attingere possent, pauci non febre tacti restabant, circiter 40 utriusque naves morti succubuerant.

Ut Chirurgus auxiliarius, Nassau petere ego non multò post jussus, aegre lembum quidem, tanta erat febris consternatio, qui navem me adveheret, conducere potui. Misserrima herclè erat navis. Praeter tamen Chirurgum, et Tirones navales voluntarios qui in locis *cockpit* angustioribus dormire solent, nullus quidem praefectorum affectus est. Marinorum ordinum ductor Chirurgum, donec novus adveniret, interim agebat. Hicce mecum advectus postridie febre correptus est, aliquamdiuque languebat. Tantus fuit timor, ut Doctor Harness, rei medicae navalis primarius, inspectum eo mitteretur, prius tamen quam advenire posset, ventilatio, separatio, purificatio febrem propemodum confecissent: nec absurdum erit notasse quantum huic fe-

bri sanguinis missiones, atque exinanitiones prodesse visae sint; adeo quidem ut qui maturius evacuati fuerint, maturius sanescerent; debilitati igitur minus ex remedio quam morbo.

Has de pestium origine disquisitiones aliis relinquimus cum Clariss. Equite Jacobo Fellowes * talia haud mediocriter dubia saepe obstare credentes cautelis illis simplicibus, quae eò certius agunt, quo maturius adhibentur, et quae praejudiciis vulgaribus moribusque gentilibus satis adversae, scientiae quoque scrupulos non nisi aegre sustinere poterunt quin penitus ipsae negligentur.

DE TEMPESTATIS VICISSITUDINIBUS.

Quod scientiae auxiliares medicinae multum profuerint, nemo sanus negabit; vix ta-

* Fellowes' Reports, p. 392-3.

men minus nocuerunt, a recto tramite nos se•ducendo.

Verum est, ex abusu earum, haudquaquam usu idoneo provenire, talem errorem utcunque frequentem. Auctores quidem nonnulli nihil non magna et coelestia loquuntur, timentes scilicet de rebus communibus agere, ne parum profundi putarentur. Res ipsas labore colligere, non conjectura venari, aegre suaderi possunt, alias orbes quam nostros ut videtur, multo diligentius scrutati. Efficaciam causarum evidentium et familiarium potentissimam, aut negligentes, aut parvipendentes, aërem ambientem quem spiramus ignorant, quodque alii resciverint de eodem, haud usui adhibere possunt. Atqui quomodo aër iste morbis gignendis inserviat, nesciunt; ad occultas ergò confugiunt, id est, obscurum per obscurius illustrare conantur. Venerabiles Medicinae causarumque abditarum patronos criminari hic minime volo. Chemia multas nobis causas, illis abstrusas, revelavit. Haud nimi-

um tamen esset, sperasse constitutionem aëris qualem descripsit Sydenhamus, quae 66,000 ex 100,000 febrientibus orco demiserit, jam in perpetuum abiisse. Medicus hodiernus historiam legens quam Londini, ante incendium in mense Septembri 1666, Maitlandus conscripsit, non numerum quotannis morientium nimium mirabitur, potius tot mortem evasisse pro miraculo habebit. *

Ex peste quae anno ante incendium magna dicitur 68,000 mortui sunt, vel plures etiam ut nobilissimo Historico Clarendonio apparuit. Recte omnino scripsit Heberden: "The plague and other putrid diseases prevailed in a very high degree, when we know the condition of London to have been most offensively dirty." "It is pleasing to observe how the health of the inhabitants returned in

* Vide Heberden on the Increase and Decrease of Diseases, p. 70-1.

proportion as this cause of their complaint was removed." *

Quin hodie quoque constitutiones aëris abstrusas, ut causam necessariam citari criticis Edinensibus video: criticis herclè poëticen plusquam medicinam sapientibus. Causam principem vocant in variis Epidemicis propagandis, et haud sine probabili analogia, se ita putare credunt. "Hepatitidem coelum Indiae Orientalis, utcunque Occidentali similis fere solum occupare: earum debilibus et aegrotantibus plurimis nocere; ulcera nosocomii, vel una nocte aliquando corrumpentem. Illud autem proprietati cuidam latenti venti hujus orientalis tribuendum; neque enim aut frigus ejus, aut siccitatem, aut qualitates barometricas effectum explanare." †

Vix aliter medici alii quoque: at si hepatitis ab aëris arcana constitutione oriatur, per

* Increase and Decrease of Diseases, p. 76.

† Edinburgh Review, No. 62. p. 420-1.

pulmones, precor, an per nervos, an demum per sanguinis circulum, ad hepar usque penetrat effluvium istud non tangendum? quapropter non debilem perinde ac robustum, indigenam perinde ac Europaeum, temperatum perinde ac intemperatum veluti in aliis epidemicis videtur? at non ita indifferenter grassatur hepatitis, ideoque alia quaerenda erit causa quam haec, "sine qua non," utcunque a criticis Edinensibus dicatur. Inter Indiam Orientalem et Occidentalem mille alia discrimina intercedere possunt. Quis non hodie Edinam veterem, quam novam, typho longe obnoxiorem videt? quis tamen sanus ad aëris constitutionem diversam, arcanamque causam referret? Venti porro varii, corpora humana male habent: atqui non ulcera sola irritant, sed rheumatismum, fracturam, quicquid denique debilis est in corpore vehementer tentant. An verò tales affectiones a mutationibus qualitatum aëris manifestorum potius oriantur quaerendum est; nemo contra-

rium ostendit. Plicam olim Polonicam procellis, ex montibus Carpathiis acerrimis medici tribuerunt; quò autem hodie migravit iste morbus? Postquam munditia restaurata foedissimum malum fugavit. Morbus ipse factus est latens, atque Plica Polonica perinde ac aëris constitutiones a Sydenhamo dictae, aegre nisi in libris medicorum reperiri possunt.

Quo magis equidem Epidemicorum recursum per aëris proprietates latentes explicare nitamur, eo plus decipiemur: nulla enim per se singularis aëris qualitas eorum rationem reddere valebit; compluribus et conjunctis auxiliis ad eos gignendos egebit.

Sydenhamus, Van Swieten, Baglivius, aliique fere innumeri, se frustra hanc aëris latentem conditionem quaesivisse fatentur. Creduli quidem non magis quam sequaces quoniam, saepe brevicula distantia homines ab Epidemicis dirissimis sospites praestat. In peste ni morbosum tangas etiam tutus eris; in

domicilio conclusus, omnem, ut omnes fatentur, contagii aleam eludas. Qui autem hoc fieri posset, si pestilens aëris constitutio existeret? Navis porrò, pauculo omnino de littore stadio anchoris stans, effectus luridissimae paludes, et febres vix peste leviores quotidie evitare videtur. Epidemici quoque uni genti vel populo, uni provinciae vel urbi, uni persaepe urbis aut etiam domus certae parti, incumbere solent. Adeo raro quidem epidemici aëre vehuntur, ut catarrhus epidemicus fere solum extat exemplum. Catarrhus anni 1775 totam Europam pervagatus est a frigore evidenter originem trahens. Ruthenis exordiens, Polonos, Borussos, Germanos, Gallos, Anglos, demumque Italos, ordine petebat, de frigida in calidam regionem progrediens, sed ultra *quatuor sexve hebdomadas* nusquam perdurans. Aliquid etiam de natura ejus a remediis quae utilissima reperta sunt, in eo submovendo, deduci potest. "Sweating," in-

quit doctissimus Carmichael Smyth, "is generally the solution of this disease; and rest, abstinence, and warm drinks, the cure." *

Praeterea hicce morbus fere a septentrionali ad australem partem migrare solet, etiamsi in hac regione per omnes indifferenter anni tempestates vicissitudinesque occurrat. Catarrhus epidemicus anni 1803 nonnunquam prorsus evitari potuit, ne corpus vento orientali pateret, cavendo. Hujus rei exemplum notabile tradit Doctor Carrick: "Apertissimum," inquit, "patentissimumque aedificiorum in monte Cliftonis est Richmond Terrace, quod tria latera parallelogrammae, ad orientem, ad austrum, ad occidentem spectantia format. E latere sinistro vix unus quidem morbum effugiebat; dum in latere australi longe plurimae et familiae et homines, quod ad alia similiter se habentes intacti evaserunt." †

Hic igitur bene confirmatum habemus ex-

* 1st vol. Medical Communications, p. 71.

† Vide Young's Med. Lit. p. 595.

emplum morbi e vento orientali excitati, nec tamen ad causas occultas, quasi spiculos longe jaculantis Phoebi, confugere opus est. Si enim qualitates noxiae hoc vento latuissent, vis ejus ad unumquodque ex tribus lateribus horum aedificiorum penetrasset. Experimenta Voltae, aliorumque* ostendunt mutationes noxias atmosphaerae, opinione nonnullorum longè rarius occurrere. His experimentis et ratio quoque consentit; quoniam difficile conceptu videtur, ut elementum, quale aër ambiens est, tam latè expansum tam perpetuo movens in parte quadam tantum, adeo saepe vitiaretur. Quam autem causae potentissimae simulque manifestissimae operari cognoscuntur res evidens fit; sed, quomodo, contra, aër longè lateque a causis topicis vitiari posset videre nequeo. Immensum hercle oportet esse venenum aëreum quod fluidum tam latè patens, inque tot simul orbis terrarum partibus, inquinare potuisset. Difficilius adhuc

* Cavendish, Berthollet, Davy, Saussure, jun. (Nicholson's Journal, vol. x. p. 287.)

comprehendere possum, aërem per saecula haud pauca salubrem persistere, deinde et quasi signo dato, instanter mutare ingenium viresque suas lethales ostentare, nec facilius intelligitur quapropter hae vires, inter sese discreparent pro societatis cultu in saeculis diversis, pro munditia, pro morum elegantia. Inter annos orbis redempti 1006 et 1680, pestem quinquagies bisque per universam Europam epidemicam saevisse legimus.* Eandem dirissimam luem cum multis aliis evanescere caepisse docet historia, simulatque vita humana paulo cultior esse inceperat; parique fere passu quo morum cultus accederet decedisse.†

Pestis sexies tantum saeculum decimum sextum, quinquies decimum septimum infestavit; ita quidem, ut anno 1680, quasi morbus universus ultimò appareret.

Quod agrorum cultis aëris dotes salubrio-

* Rush's Inquiry into the natural history of Medicine among the Indians, p. 23.

† Ibid. p. 21, 22, 23.

res reddere possit, haud arduum est intelligere, minime autem ex solo diligentius culto orta est haec miranda aëris salubritatisque Europae mutatio. Incendium illud quód diximus memorabile Londini ad pestem fugandum plus valuit, quam totius saeculi agriculturae augmenta. Morum, non agrorum cultus, maximum semper effectum praestabit.

Sed quomodo certae in melius societatis humanae mutationes, quomodo vitae generis, morum vel institutorum gentilium alteratio, populo magno pestem auferre valeat, etiam totum ambientem aërem purificando, penitus ignoro. Rationale tamen multo magis est inferre, quod pestis tali populo gentive sublata fuerit melioribus institutis et legibus, vix autem ulla meliore aëris, tam late patentis elementi, conditione superinducta. Si res ita se habeat, valedicamus doctrinae non minus perniciosae quam inerti causarum occultarum; quoniam minime constet tales existere; aut si existere iis concedatur certe ad epidemicas

gignendas, vel excitandas parum valere possunt. Eo diutius huic doctrinae institi, quod vel levissimus error populo, per commentarium tanti aestimatum, ac recensio critica Edinensis est, non nocere nequit. Error autem gravissimus est atque tam prejudicio populi ipsius, tam favore fere superstitioso, quo huncce libellum populus lectitat, perniciosissimus evadet. Obviam eamus qualitatibus manifestis depravatis igitur; atque loco deorum, facultatum aëris arcanarum; nosmetipsos sordium, ignaviae, vitiorum sordidorum incusemus.

DE CLIMATE SEU REGIONE.

Corpus humanum mirè utique morbo resistit frigori aut calori incredibili insuescens: nec locus invenietur adeo torridus, vel frigidus, ubi plantae existere possunt, quin ibi quoque cura idonea habita, homo subsistere doceatur. Sed cura necessaria est, atque quantum ad vitae utilitatem conferat in naves

bellicae exemplo optimè videtur. Hac enim disciplinae mutatio saepe magis efficax est, quam climatis vel coeli vicissitudo. Comparentur navigationes Ductorum Anson et Cook, quorum prior fere omnes, posterior unum tantum hominum triennio amisit. In nave bellica trecenti forte homines, eodem tabulatu dormient, singuli xx pollices latos sibi occupantes. Victu salino, nonnunquam ad dimidium redacto, putrido, aqua etiam putrida utuntur. Coelum tales hebdomada quaque altera mutabunt impune: quod ostendit nos quoque, si similibus institutis pareremus, eandem a frigoris vel caloris mutatione immunitatem nacturos. * Dum Cantiae dux Calpae praeesset, ne quarta quidem pars prioris mortalitatis accidere permittebatur. Sic Blane, † sic invitus M'Lean confitentur. ‡

Ante omnia frigus arcendum est, incredibilis enim est numerus huic causae quotan-

---

* Fellowes' Reports, pag. 87 & 355.

† Blane on Diseases of Seamen, p. 215, &c.

‡ M'Lean on Epidemics.

nis succumbentium. 55,000 Phthisici soli quotannis in Britannia, nostra hic enim perspiratione frigore suppressa, ad pulmones sanguis derivatur.

Calidioribus quidem locis mala sudoris suppressi adhuc manifestiora sunt, scilicet pro rata parte sudoris ibi fluentis augescunt. Quin natura quoque ibi inter se differunt secretiones; odorem sudoris intolerabiliter acidum aliquando percepi, alias tam alcalinus fuit acerque, ut partes abrasas oculosve ureret. Alias quidem tenuis, aquosus, vel blandus, crassus, unctuosus fuerit. Alvum quoque his variationibus affici, plus minus quis dubitabit? Sed evacuatio immensa sudoris inflammationes acutas arcere regionibus calidis videtur. *Dysenteria* atque *Diarrhoea* sunt Phthisis et Pneumonia regionum tropicarum. Tabulatus navium lavatio alvi mala multa etiam una aurora, excitabit. Apud Insulam S. Helenae robustissimos nautarum Dysenteria corripi obstupui. Sed causa erat perspiratio talibus copiosior, quae semel su-

pressa difficilius restituitur. De sanitate quoque robusti minus curiosi sunt. Hinc crebrae eorum mortes quos apud Mauritium, Diego Gascia, Ceylon, Sumatram, Javam, aliasque vidi. Vestimenta semet frigoris captandi gratia exuunt; sudorque aegrè rediturus praefocatur, ut praefectum quendam navalem bene memini, cui Dysenteria intra 60 horas lethalis, inde supervenit, ea vero tempestate qua vix alius in nave aegrotaret.

Nihil melius ostendit effectum sudoris cohibiti, quam id quod nautis aquantibus ocurrere in hisce regionibus torridis solet. Qui nudi eo munere funguntur, exulcerationem cutis a sole effugiunt, si modo aqua cutis partem nullam humectet. Qui autem nudi quoque, sed medio tenus aqua stantes aquantur, saepe subito amplis plurimisque vesicis, seu bullis integuntur. Ex toto igitur ducendum puto, vel tropicos regiones cura et diligentia, homini et tolerabiliores et salubriores simul reddi posse.

DE CAUSIS MORBI PRAECAVENDIS.

Quum potestas morbi arcendi a causarum scientia derivatur, sic Politeia Medica ex his causis suam divisionem mutuatur. Fortasse nulla morbi divisio politica, multo minus Nosologica fieri potest, quae omnibus casibus responderet, tamen ad usum nostrum satis tutò in I. Causas Internas; II. Externas; III. Mixtas, diducantur.

Classe causarum *prima* eas significo quae prima fabrica, et stamine quasi nostrorum corporum pendent, super his igitur nullum fere aut minus imperium habemus.

Causae Externae.—Quoniam omnia involvunt, quae extrinsecus corporibus nocere possunt, iterum subdivisionem requirunt scilicet in causas *generales* et *topicas*. Causae topicae aliam porro divisionem subeunt, nimirum in causas locales, *naturales* et artificio-

sas; quid causae mixtae significent facile intelligetur.

Politeia Medica se primò in Topographiam medicam, quae "descriptio est loci, quantum ad rem medicam spectet," diducit. Haec disciplina ad eas quas *causas generales* dixi multum respicere videbitur, quales sunt aëris conditiones quod ad frigus, calorem, humorem, &c. climata constituentes, et quoque ad *causas naturales locales*, ut montes, flumina, sylvas, lacus, paludes, et similia.

Secunda Politeiae Medicae *divisio* ab alia causarum classe, scilicet ab *artificiosis et mixtis causis*, derivanda est, vel aliis verbis iis morborum causis quae *nostris* operationibus intimè pendent. Hanc *Statisticam Medicam* voco, definioque "esse descriptionem morum et institutorum populi, quoad medicinam pertinet."

Tertia et *ultima divisio* materiae nostrae est Politeia Medica, propriè ita dicta; quae nihil est nisi, "Idonea applicatio cognitionis nostrae duarum priorum partium ad praeventionem extinctionemque morborum."

Quoniam morbi fere eandum propemodum connexionem, cum certis societatis humanae conditionibus, quam plantae cum solo, quo nascuntur habere videntur; manifestum est, ut cognitio Topographiae Medicae et Statisticorum Medicorum, in corpore politeiae medicae omnino necessario sit. Pari enim ratione agricola terram cujus solum ignoraret, colere tentaret, ac Collegium Curatorum sanitatem regionis emendare proponeret, nisi omnia prius ad hanc rem facientia accuratissime calluissent.

Dum tamen medici nullo vinculo conjuncti, disjecta quasi artis Apollinaris membra usquequaque disperguntur, capite carentia haud multum utile de Topographia et Statisticis Medicis sperare oportet. Societates ad propaginem bovum nigrorum nobilitandam, adque fructiferarum arborum morbos mitigandos nullus patriae nostrae non angulus habet, sed ad genus humanum sospitandum morbisque defendendum neminem, vel minimum digitum lubens movere vides. Hunc ve-

ro neglectum praejudiciis nonnullis fallacibus, medicorum scriptis oriundis tribuo.

Quod ad optimum Politeiam Medicam instituendi modum multum dici potest, nunquam utique remediis non generalibus multum proficietur; quae sequuntur mihi magis arrident.

1. Medicorum omnium nomina censu proprio includere.

2. Britanniam universam, ut Scotica hodie Ecclesia, in Synodos atque Presbyteria, dividere, pro singulis comitatibus.

3. Concilium medicum ex spectatissimis notioribusve, artis Professoribus in Metropoli constituere.

4. Simile concilium in omni Ditione per totam regionem, forte supremo medico concilio in metropoli subjectum erigere.

5. Certum numerum Clericorum atque Magistratuum his interesse, ut momentum decretis addatur.

6. Omnem medicum censu adnumeratum teneri, maturrimam morborum ditione sua contagiosorum notitiam, concilio ejusdem ditionis transmittere, etiam per mensem saltem quater in anno de morbis quos tractat referre, opinione de origine et praeventione subnexa.

Talibus conciliis potestatem lex concedat sustollendi omnia publicae sanitati obstantia, in morbis contagiosis, cautelas et prophylaxes salutares imperandi, ad magistratum et de refractoriis referendi.

His quidem morbis divites aedificia purgare cogantur; pauperum latibula impensis publicis purificari debent. Quin et ii, quorum aedificia sunt, istorum puritate teneantur; quod si negligant, claudetur domus tabulaque notetur.

Carceres, Ergastula, Ptochodochia, publica et localia, etiam scholas et manufactoria talia concilia inspicere debent.

Quoniam ex spiritibus destillatis, cerevisia, vinis, aliisque liquoribus adulterinis; potis,

plurimi et aegrotant et moriuntur,* istorum liquorum venditores acerrimè inspicere debent, parvulo quodam vectigali, ad hunc usum venditoribus imposito.

Ut munditia promoveatur, fas sit tabernariis sordidis vendendi licentiam adimere, fas quoque pauperibus immundioribus eleemosyna subducere.

Praeter haec propositum est in Scotia, inquisitionam Coronariam instituere, quominus nondum mortui ante diem sepeliantur, mendicationem supprimere, sellam poenitentiae abrogare, crudelem animalium tractationem punire, et similia.

Libero legum Britannicarum ingenio pauca, ex his fortasse repugnare videantur, saltem primo intuitu. Aliae tamen his simillimae, sunt quotidie permissae interpellationes. Decanus Guildae, perinde ac Aedilis olim, vetera jamque casura aedificia evertere potest; bona surrepta, quotidie ex lege per civium domos requiruntur. Sed periculum publico infecto-

* Vide Accum, on the Adulteration of Food, &c. 1819.

rum quam raptorum bonorum multo gravius est.

Tali quidem instituto multum commodi, parum laboris vel molestiae oriretur; utilitas brevi manifesta fieret, atque inde homines discerent, praeventionem morbi, promotionem virtutis esse; sapientem optimumque naturae opificem, nunquam nos perire ex alimento, quod salubre inhalamus, atque sine quo existere nequimus, voluisse. Contra, salutem nostram ita cum actionibus nostris, virtute atque felicitate copulavit, ut illam vix minus quam has sub propria potestate habeamus.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.